









John Carter Brown.
Harold Brown.



~~482~~
492

6.00





CHURCH OF THE HOLY TRINITY

TRINITY

WYOMING

1887

WYOMING

1887

WYOMING

1887

WYOMING

1887

WYOMING

1887

11.
OBSERVATIO HISTORICA
DE
FRISONUM
NAVIGATIONE
FORTUITA IN AME-
RICAM

SEC. XI. FACTA.

OB
SOLENNEM LUSTRATIONEM
LUDI REF. FRIDERICIANI
ET
ORATIONES IN EA HABENDAS,
EDITA,

A
JOH. PHIL. CASSELL, R.

~~~~~  
LITTERIS JOAN. CHRIST. SIEGELER.  
e

ORATION

DE

FRISONUM

NATIONE

FORUITA IN AME

RICA

SEC. XI. FACTA

DE

FORUITA IN AME

FRISONUM

DE

ORATIONE IN AME

FRISONUM

FORUITA IN AME

FRISONUM

FRISONUM

DE



## ARGUMENTUM.

§. 1. Instituti ratio. §. 2. *Frisii* vel *Frisones* quinam, & ubi habitarunt. §. 3. commemorabilis historia apud *Adamum Bremensem* recensetur, quæ narrat *Frisones* miro casu in *auriferam* &c. regionem delatos, indeque *Bremam* rediisse. §. 4. probatur eam regionem fuisse *Americam*, indicatur & tempus Sec. XI. quo hæc res contigit. §. 5. Ejus historię certitudo stabilitur ex veritate comperta earum rerum, quas his hominibus sub *septentrionis* axe contigisse refert *Adamus*, ut (a) ibi esse *immensam caliginem*. Ostenditur sub utroque polo perpetuam lucem esse quidem, sed *caligantem*, ut nobis tempore *crepusculi*. §. 6. Consensus Veterum de *caligine* in oris *septentrionalibus*, lux PSALM. 139, 9. affunditur. *Curtius* notatur. §. 7. (b) de *Euripo* sub polo septentrionali. Ille non est solum *absorbens* sed & *revomens*, confutatur sententia *Kircheri*, quod sub polo *arctico* mare ingurgitetur, & illud *antarctico* reddatur. Item Hypothesis de *æstu maris* causa, quam ei superstruxit Cl. *Becmanus*. Indicatur causa vera *fluxus* & *refluxus* maris. §. 8. Expeditio *Danorum* in terram *Winland*, conjicitur eam esse partem *Americæ*. *Insula* dicitur terra, quam mare non totam sed magnam partem ambit, ut Græcis *νῆσος*. §. 9. Finis.

§. 1.

**A**nglorum expeditiones bellicæ & invaſiones in ditiones Americanas, Hiſpaniarum Regis ſceptro ſubjectas, tantam in omnem Europam famam dimiſerunt, ut & lippis & tonſoribus colloquendi anſam, mox de auſpicato mox de adverſo ex ultimis illis oris adlato nuntio, Britanno- rumque rebus male geſtis dederint, & eruditis, quibus penitior terrarum orbis quartæ partis cognitio eſt, materiam præbuerint ampliorem de ea differendi; & nuper in tabulis publicis, doctum quendam, ni fallor, *Anglum*, de navigationibus dudum ante Cololum vulgo Colum- bum dictum in Americam inſtitutis, ſcriptum edidiſſe, me le- giſſe memini, cujus inſtitutum, ut legi, arriſit, & licet in- viſum, calcar addidit, pro præſentis temporis ratio- ne, unicum illum articulum de *Frisonum navigatione in Americam fortuita Seculo XI. facta*, eruditis dijudicandum proponere.

§. 2.

FRISII vel FRISIONES fuerunt populus inter Rhenum & Amisium habitantes, olim in *Majores & Minores* diſtincti, PTOLEMÆO *Φριſιοὶ Phriſſii* dicti, PAULO DIACONO *Frifones*. Hodiedum duplex *Friſia* apud Geographos adhuc occurrit, *Orientalis*, ſive *principatus Emdanus*, cujus caput *Emda* eſt, ad Amiſii oſtium ſita, urbs libera, quæ libertatem ſub præſidio Præpotentium Belgii Fœderati ordinum tueri anniti- tur, & *Auricum* ſedes principis regionis hujus. Et *Friſia Occidentalis* provincia fœderati Belgii Oceano & Auſtrino mari terminata, cujus caput eſt *Leowardia*. Plura de his regionibus proferre non vacat, adeat, qui plura velit, Geographos, *Cluverium*, *Ubbonem Emmium*. *Cellarium* alios- que;

que; **SUFFRIDI PETRI** *Libri III. de Frisforum Antiquitate & Origine* Franq. 1698. 12. & alia ejusdem scripta, huc pertinentia recensentur in **HENR. SICKII** & **Neocori** (Küsteri) *Bibliotheca Libr. novorum* T. III. p. 708. & T. V. p. 671. sq. Jucunda lectu est comparatio *Frisia* cum *terra Gosen* in *Ægypto*, quam dedit **CELEB. BRAUNIUS** *Professor quondam Groninganus, in Selectis Sacris* pag. 742.

§. 3.

Dijudicatu vero difficile est, qua regione, *Frisones* illi, de quibus jam sermo erit, fuerint oriundi, num ex Provincia Belgica, an ex Orientali *Frisia*, dum utraque mari circumfusa, utraque etiam navigationibus apud veteres incluta fuere, nec res tanti est momenti, (a) sufficit *Frisones* appellari in memorabili illa historia, quæ occurrit apud **ADAMUM BREMENSEM**, ex quorum regione medio circiter *Seculi XI. nobiles Frisones* casu in *septentrionalem Americam* delatos esse conjiciam, & cives meos *Bremenses*, tum temporis in celebri illa urbe viventes, ad quam primum rediere, non ignobilem ante cæteros harum terrarum notitiam accepisse. Legitur in libro de situ *Daniae & reliquarum Septentr. Regionum* (b) qui ejus *Historia Ecclesiastica* annexus est, quam

( 3 )

ut

- (a) Si quid tamen ego conjectura assequi possim, mallet illos incolas provinciae, quæ *Bremæ* proxima est, id est *Orientalis Frisiae* statuere, partim, quod ob viciniam nobis semper magnum commercium cum illis intercefferit, partim quod post reditum statim huc appulerint, & fata sua incolis urbis retulerint.
- (b) *Cap. 247. p. 65. in E. LINDENBROGII* *Scriptoribus Rerum Germanicarum Septentr. à Clar. Fabricio Hamburgi A. 1706. fol. iterum editis.*

ut integram ob rei dignitatem adscribamus necesse est. Retulit nobis (Adamo) beata memoriae pontifex (Bremensis) Adalbertus, in diebus antecessoris sui quosdam nobiles de Friesland (est Frisia) causa pervagandi maris in BOREAM vela tetendisse, eo quod ab incolis ejus populi dicitur ab ostio Wirrahae fluminis directo cursu in Aquilonem nullam terram occurrere, praeter illud mare, quod Liberse (id est Oceanus) dicitur. Cujus rei novitate pervestiganda conjurati sodales à litore Frieslandum lato celeusmate sunt progressi. Hac occasione itineris relata, sequitur ipsa historia, quid his hominibus contigerit. Deinde relinquentes hinc Daniam, inde Britanniam, pervenerunt ad Orchadas. (insulas Orcadas intelligit, supra Scotiam in mari Deucaledonio sitas) Quibus à lava dimissis, cum Nordmanniam in dextris haberent, longo tractu glaciale Island collegerunt. A quo loco maria sulcantes in ULTIMUM SEPTENTRIONIS AXEM, postquam RETRO se OMNES, de quibus supra dictum est, insulas viderunt, omnipotenti Deo & sancto Confessori Willebado suam commendantes audaciam & viam, subito collapsi sunt in illam tenebrosam rigentis Oceani caliginem, qua vix oculis penetrari valeret. Et ecce instabilis Oceani Euripus ad initia quaedam fontis sui arcana recurrens infelices nautas jam desperatos, imò de morte sola cogitantes, vehementissimo impetu traxit ad chaos. Hanc dicunt esse voraginem abyssi, illud profundum in quo fama est, omnis maris recursus, qui decrescere videntur, absorberi, & denuò redomi, quod fluctuatio dici solet. Tunc illis solam Dei misericordiam implorantibus, ut animas eorum susciperet, impetus ille recurrentis pelagi, quasdam sociorum naves abripuit, ceteras autem redomens ex cursu longo ab alteris post terga repulit. Ita illi ab instanti periculo, quod oculis viderant, opportuno Dei auxilio liberati, toto nisu remo-

ruin fluctus adjuvarunt. Attendamus ad ea sedulo, quæ iis porro contigerunt. At, jam periculum caliginis evadentes, pergit, & provinciam frigoris, ad QUANDAM INSULAM, altissimis in circuitu scopulis ritu oppidi munitam, insperate appulerunt. Quam visendorum gratia locorum aggressi, reppererunt HOMINES IN ANTRIS subterraneis meridiano tempore latitantes: præ quorum foribus INFINITA jacebat COPIA VASORUM AUREORUM, & ejusmodi METALLORUM, quæ RARA mortalibus & PRETIOSA putantur. Itaque sumta parte GAZARUM, quam sublevare poterant, lati remiges festine remeant ad naves. Cum subito retro se venientes contemplati sunt, HOMINES MIRAE ALTIITUDINIS, quos nostri Cyclopes appellant, quos antecesserant canes magnitudinem solitam antecedentes. Quorum incurso UNUS de sociis eorum captus est, & in MOMENTO coram eis LANIATUS, reliqui vero suscepti ad naves evaserunt, GIGANTIBUS (ut ferebant) pone in altum vociferando sequentibus. Concludit denique; Tali fortuna comitati FRESONES BREMAM perveniunt, ubi ALEBRANDO Pontifici, ex ordine cuncta narrantes pii Christo & confessori ejus Willebado REVERSIONIS & salutis sue hostias immolarunt. Hæc commemoratu dignissima Adamus Bremensis retulit.

§. 4.

Unum autem hic rogatum volo, annon ex his verbis clarissime eluceat, hos homines in aliquam regionem America, qua ad septentrionem vergit, eo casu delatos esse. Quippe ubi alias terrarum esset hæc terra, ad quam illi pervenerint, nisi America esset? Ego fateor, me eo situ & navigatione aliam non nosse. Nam non sita est ad ultimum septentrionem, ad quem antea per-

pervenerunt, sed ab eo, cum hanc *insulam* viderent, jam *recessere*, quod bene notandum, dicit enim eos *ad quandam insulam appulisse*, jam PERICULUM CALIGINIS (septentrionalis, de quo antea) *evadentes*, & NB. PROVINCIAM FRIGORIS, hoc est, regionem *septentrionis gelidissimam*. Ea itaque superata pervenere sub mitiori cœlo, ad aliam regionem. At, cum nulla hæc esse possit ex Europæis, oportet quo fuerit aliqua Americæ. Quam rem verissimam porro mire confirmant recentiorum de America historiæ, ex quo hæc regio explorata est. Nam hoc ostendunt (1) METALLA illa, GAZAE, AUREA VASA, quæ istis hominibus affluebant. Ea autem quanta copia sint in America & fere sola, cui ignotum esse potest? (2) Hominum illorum mira *altitudo & gigantea forma*, declarat hos fuisse Americanos. Quod porro (3) probat eorum *laniatus*, quo illum captum *hospitem* statim *dilacerarunt*. Nota est enim satis Americanorum *Ανθρωποφάγια*, qui *humana carne* & imprimis *peregrinorum hominum*, quos raptu cepere, delectantur. De *Canibalis* res certe notior, quam ut hic pluribus inquiratur; Exempla haud parca manu hominum humana carne vescientium contulerunt *Erdm.* UHSENIUS in *docto Critico* T. I. *quæst* 99. p. 1275. sq. M. ZIMMERMANNUS in *Analectis Miscellis* p. 345. aliique. Et (4) hoc docet hominum vita in *speluncis subterraneis* habitantium, quod ipsum & variis Americæ populis solenne est. Brevis ut sim, nulla hic est nota hujus regionis *characteristica*, quin apprime Americæ conveniat. Ex quibus proinde concludimus, Bremenfes Seculo undecimo hanc terram aliis incognitam ab his hominibus *fama cognovisse*. Nam Adamus hæc testatur  
se

se accepisse à Pontifice, hoc est Archiepiscopo *Adalberto*, qui eo Seculo medio annis undetriginta ab anno 1043. usque ad A. 1072. Archiepiscopatu Bremensi præfuit. vid. AD. BREMENSIS L. II. *Hist. Eccles. cap. 63. p. 33. coll. L. III. cap. 1.* Ille autem cum testatus est Adamo, hæc contigisse in diebus Antecessoris sui, cui hæc retulere nobiles illi *Fresones*, ex quo Bremam reversi sunt, oportet, quo hæc intra annos 1033. & 1043. gesta sint. *Alebrandus* enim seu *Bezelinus* Adalberti hujus Antecessor, priori anno Archiepiscopatum nactus est, altero ex vita decessit, pontificatumque, cui decennio præfuit, successori reliquit Adalberto; vide ADAMUM BREM. L. II. *Hist. Eccles. cap. 51. 62. & 63.*

§. 5.

Præterea & hanc historiam verissimam esse, neque ab homine vel negandi cupidissimo, ea quæ ipse non est expertus, posse in dubium vocari, ea mirifice confirmant, quæ partim de extrema caligine sub ultimo septentrionis axe, partim de Euripo seu vortice sub polo retulit *Adamus*. Necessè enim est, & ex natura cursus solis facile percipi potest, sub polis tam arctico quam antarctico debere lucem, quo magis ad alterutrum accedimus, eo magis paulatim deficere, adeoque, perpetuum ibi fere esse crepusculum, vel, si eam rem cum luce solis in nostris oris compares, perpetuam caliginem. Optime & eleganter hoc animadvertit Doctissimus *BECMANNUS* Senior quondam Viadrinus, cujus rationes physicæ mirum in modum ex hac historia de caligine sub polo Septentrionali, ceu certissimo experimento, lucem accipiunt. Ita ille in *Historia Orbis Terr. L. I. c. I. §. 17.* Putamus, si quis sub POLO vivere possit, eum in perpetua LUCE VERSATURUM, melius dixisset in CREPERA

)((

LUCE

*LUC E* perpetua & dubia, quia quidem ibi perpetua lux est, sed caligans & dubia, ut nobis est tempore crepusculi & diluculi oriente & deficiente die.

Pergit, ratio est, quia aquator in hisce locis Horizontem stringit, atqui maxima solis ab equatore distantia est 23 grad. 30 minut. Totidem ergo gradibus sol ab Horizonte horum locorum distabit, si remotissimus sit ab iis. Jam vero crepusculorum duratio à plerisque 19. graduum profunditatis solis sub Horizonte statuitur. Quibus si quatuor, quinque, vel plures gradus adjeceris, quibus propter maximas refractiones circa polum Phænomena altius elewantur quam revera sunt, plures habebis vel totidem saltem gradus pro crepusculo, quot sol ab Horizonte ibi remotus est: & per consequens *PERPETUA LUCE* ibi frui licebit, sed hic addit rectissime, si non splendida aut præsentis solis, saltem *DUBIA*, & *NON OMNINO NULLA*, quæ deinde eo magis augetur, quo sol à tropicis ad æquatorem propius accedit. (c) Idem Vir doctus cum hanc sententiam repetiisset, cap. IV. §. 9. addit p. 104. Cui aliud adjicimus à tabulis antiquioribus quidem proditum non tamen sine dubii animi nota. Nempe de voragine absorbente & revomente, de qua sequenti § pho plura. Necesse itaque est, ut sub polo septentrionali, de quo hic Adamus, perpetua sit caligo, & tenebra, si eam dubiam lucem, quæ ibi est ob refractionem absentis solis radiorum, cum ea, quæ nobis est præsentis sole, adducas in comparisonem.

§. 6.

Sed & alia historia eandem rem confirmavit *ADAMUS* cap. 246. verbis nostram historiam proxime antecedentibus: Tentavit hoc nuper (ut ultra Islandiam in septentrionem navigaret) experientissimus Nordmannorum princeps *HAROLDUS*: Qui latitudinem septentrionalis

Ocea-

(c) conf. J. L. HÖCKERI Einleitung zur Erkenntniß der Erdb-Kugel p. 78.

Oceani perscrutatus navibus, tandem caligantibus ante ora deficientis mundi finibus, immane abyssi barathrum, retroactis vestigiis vix salvus evasit. Hinc & ille septentrionalis Oceanus caligans est dictus, docente eodem ADAMO cap. 217. & quo magis ad septentrionem tendis, eo magis à sole recedis, quare & veteres septentrionem nomine ζοφῶς caliginis & tenebrarum perpetuo notarunt. Latissime hac de re egit doctissimus BOCHARTUS Can. L. I. c. 40. ubi probare nifus est Tbulen ultimam, quam veteres norunt sub aquilone insulam, nomen à טול Tule hoc est umbra & caligine accepisse. Hinc & illustrari optime potest. PSALM. CXXXIX. 9. ubi כנפי שחר esse alas tenebrarum non aurora, rectissime demonstravit CEL. HASAEUS in diss. T. XII. *Historia Crit. Reip. Litt.* inserta p. 225. sq. (d) & vel exinde constare docet, quod his alis fugere vellet rex ad אחרון ים five ἑσχάτην θαλάσσαν, hoc est mare mediterraneum, quod Judæam habitantibus erat ad septentrionem. Atque hæc de septentrionalium terrarum caligine, quo magis ad polum accedunt, veterum notitia eo usque radices egit, in animis hominum, ut eadem de terris Parapamisadarum Scythiæ septentrionalis quidem regionis populorum, attamen inter trigessimum quartum & quadragesimum gradum adhuc sitorum, narraverit CURTIUS L. VII. 3. *Gelidissimum*, inquit, septentrionis axem ex magna parte spectant; & dein: OBSCURA cæli verius UMBRA, quam LUX, NOCTI SIMILIS premit terram, VIX UT QUAE PROPE SUNT, conspici possint. Hæc cum apprime

)( ( 2

con-

(d) coll. *Bibliotheca Brem.* T. I. Fasc. I. pag. 55. & Fasc. III. p. 302. confer etiam, quæ circa illustrationem hujus loci attulit CELEB. GERDESIUS quam maxime Groningensem Academiam multiplici sua doctrina ornans, in *Vesperis Vadenfibus seu Hyperbolis ex sacris eliminandis*, p. 197. sq.

convenient *terris sub polaribus*, ut docuimus, tamen non adeo commode hæc tribuuntur Parapamisadis longe à polo adhuc diffitis & sub miti cœlo in Zona temperata habitantibus; rectissime ergo iste error *Curtii* notatur à *Celeb. CLERICO in Arte Critica* P. III. Sect. III. cap. II. §. 3. Attamen ea, quæ de caligine regionis ad polum septentrionis accedentis retulit Adamus, certissime stabiliunt. Regionem *tenebrarum* in Septentrione ultimo cæteroquin etiam descripsit M. PAULUS VENTUS L. III. cap. 49. Et CIMMERIOS populos, tenebris æternis damnatos, & atra nocte, qua circumdati, apud Veteres satis celebres, in ultimo septentrione collocavit JONAS RAMUS in *Tr. de Ulyssæ & Outino* cap. VII. p. 100. (Hafn. 1716. 8.)

§. 7.

Quæ autem idem narrat ADAMUS de Euripo, in quem rapta quædam sunt navigia horum Fresonum, nimis illi appropinquantia, ea certissima quoque constant *experientia*, adeo ut nautæ, qui ad Spitzbergam tendunt, retulerint, nullum navigiorum, quod gradum 82. versus Polum superavit, unquam rediisse, sed ab immensa illa voragine absumentum esse. Hanc rem pluribus exemplis, mare sub polo arctico per Euripos absorberi stabilivit *Jesuita diligentissimus KIRCHERUS in mundo subterraneo* L. III. cap. 2. & ex eo BECMANUS in *Hist. Orbis Terr.* P. I. cap. IV. §. 9. p. 104. At hæc ipsa historia subruet ipsam hypothesin Kircheri, cujus gratia eam rem probavit. Censet enim vir doctissimus, mare sub polo arctico absorberi, sub antarctico vero iterum eructare. Docet autem hæc historia clarissime, non solum Euripum sub polo arctico mare accipere, & in voraginem dimittere, sed & eandem aquam statis vicibus

bus reddere, atque eructare. Nam, inquit ADAMUS, impetus ille recurrentis Oceani quasdam sociorum naves abripuit, ceteras autem REVOMENS ex cursu longo, ab alteris post terga REPULIT, ut ita præsentis periculi atrocitatem effugerint. Hinc apparet quippe naturam Euripi hujus sub polaris neutiquam differre à cæteris, ut *scylla*, *Charybdi*, *Syrtybus*, & Norwegico *Mælstrohm*, quæ omnes statis horis absorbent partim, partim reddunt aquam. Et quanquam hoc de illa re exemplum est ἀπὸ τῆς ἀρχαίας, est tamen minime rejiciendum, quia hæc res frequenti exemplo doceri non potest, quod rarissime hic casus eveniat, ut naves eo devenientes, ceu nostræ contigit, cum fluxum, tum refluxum maris simul deprehendant, cum plerique tempore rapidissimæ attractionis in Euripum ejusque imum gurgitem mergantur. Itaque non aquam, quam arcticus Euripus absorbet, reddit dein alter sub polo antarctico, sed unusquisque Euripus suam aquam, quam absumpsit, iterum revomit. Neque enim dubito, quin sub polo australi idem, quod sub septentrionali contingat, ut ut iis, qui illuc ultra 70. gradum navigarunt, mare insigni rapiditate obviam ruerit, probante *ibidem Kircher*. Illud quippe tempus, quo hoc experti nautæ, dubio procul fuit, quo mare *refluebat*. Nam alii, qui eo tempore, quo mare ad Euripum festinabat, illic navigarunt, dubio procul ejus violentia in Abyssum demissi sunt, illuc unde negant redire quenquam. Sublata itaque hac *Kircheri* hypothesi, de vorticibus subpolaribus, altero accipiente, altero dante solum aquam marinam, etiam, ut vara vibiam sequitur, necesse est, quo subruat sententia *Clar. BÉC-MANI*, quam exinde de maris fluxu & refluxu exsculpere annisus est *ibidem loci p. 105.* quæ & præterea aliis quam

plurimis difficultatibus laborat, quæ omnia depromere heic loci prohibemur, quod ex hoc diverticulo tandem in viam redeundum & ad finem properandum fit. Brevibus hic addere liceat, mihi videri de hoc Phænomeno Physico certissimam esse sententiam eam, quæ antiquissima est fere, ejusque causam *fluxus & refluxus Euriporum* marinorum *attractioni & regurgitationi* tribuit. Animadverti enim illic locorum, ubi in vicino mari *vortex* est, ibi quoque *fluxum maris* esse, contra in quibus maribus nullus est Euripus, ut in mari *Baltico*, parte *maris mediterranei*, mari *Caspio*, *Genezareth* &c. illic quoque nulla est vel *venilia* vel *salacia*. (e) Sed hæc sunt alterius loci atque indaginis.

§. 8.

Adstructa itaque hujus Observationis dignissimæ apud *Adamum Bremensem* veritate, unico porro ob materiæ affinitatem documento in *Americam* devenisse homines ante *Christi* Colonum probabimus, Prudenti hic lectori rem committam, numne & per terram *WINLAND*, quam eodem Seculo in *Oceano Septentrionali* experti sunt *DANI*, etiam aliqua *America Septentrionalis* pars intelligenda sit. Certe mihi ita videtur. Habes eandem historiam ab eodem *ADAMO* ex fide *Haroldi* & *Olaph Danorum* Regum notatam, in eodem libro cap. 246. Præterea unam adhuc *INSULAM* recitavit à *MULTIS* *REPERTAM* in illo *OCEANO* (septentrionali, uti *Grænland*, *Halagland*) quæ dicitur *WINLAND*, eo quod ibi *VITES SPONTE NASCANTUR*, vinum optimum ferentes

- (e) *JOH. ALB. FABRICIUS* in *Hydrotheologie* P. I. p. 337. ingentem numerum scriptorum collegit, qui de *fluxu & refluxu maris* scripserunt. Quibus adde *J. F. BACHSTROHM* novam æstus marini Theoriam. *Lugd. Bat.* 1734. 8.

*rentes* (inde dicta regio, quia Germanica lingua *Winland* est regio *vinifera*) Nam & *fruges ibi non seminatæ abundare, non fabulosa opinione, sed certa DANORUM comperimus RELATIONE.* Testor fidem, me nescire, quam insulam *frugum & vitium feracem* adeo quispiam reperire possit, ad septentrionalem Oceanum, si *America* regionem hic agnoscere displiceret. Neque obijciendum est, eam terram *insulam* vocari, qualis, num *America* sit, adhuc nostro tempore est incertum. Nam *Adamus* ex stylo eorum temporum ejusmodi terram, quæ maxima ex parte mari alluitur, *insulam* appellat. Idem & eam terram, ad quam *Fresones* accedere, pariter eodem nomine exhibet. Sic & *cap. 244. p. 65. Grœnlandiam* vocat *insulam*, quæ num continens sit, nec ne, incertum est. Ita & olim Belgæ, cum sub fine Seculi XVI. *Novam Zemblam* reperirent, eam terram insulam esse tradiderunt, cum tamen hodie exploratum sit, eam per isthmum cohærere, cum terra *Samojedorum*. Ita & terram, quæ magna ex parte mari alluitur, Græci *ἡνσὸν insulam* vocant, ut ut non tota ea ambiatur. Hinc illam terram, ad quam *Carthaginensium* naves casu & tempestate delati & quam pariter *Americam* esse credimus, *ἡνσὸν insulam* vocant cum *Aristoteles*, tum *Diodorus Siculus*. Hæc itaque si admittamus, exinde compertum erit, jam tempore *undecimi Seculi*, aut etiam prius, *DANIS* regionem *America* haud ignotam fuisse. Aut enim hæc insula ibi est, aut nuspiam est. Credo etiam nisi alius orbis hodie nobis cognitus esset, hanc rem nonnullos, qua sunt audacia, in fabularum numerum relatu-  
fuisse, ut diserte *ADAMUS* testetur, quemadmodum de re insolita auribus fieri solet, *hæc non opinione, sed CERTA DANORUM RELATIONE* ipsi traditum esse.

## §. 9.

In *Examine nostro Autumnali die XVIII. Septembris* horis Antemeridianis in Lycei Fridericiani Auditorio habendo, publice declamabunt *Juvenes ingenui & moralissimi:*

I. PHILIPPUS ISAACUS HEINECKEN  
de Prudenti veræ perfectionis dijudicatione.  
*L. vern.*


II. JOHANNES PHILIPP. GUISCHARDT  
de vera Eloquentia. *L. Germ.*


III. FRIDERICUS GEORGIUS L. BARO  
DE LA ROCHE de Invidia sui ipsius Vindice. *L. Lat.*


IV. FRIDER. LUDOV. LEHMANNUS  
Majestatem Divini Numinis ex operibus ipsius  
collucentem *Carminè Epico Germanico* prædicabit.


V. JOHANNES GEORGIUS RIQUET  
de Brevitate *L. vern.* dicet, simulque DD. Auditoribus gratias ager.

Nullus dubito, quin *VOS VIRI EXCELLENTISSIMI, PRAENOBILISSIMI, CONSULTISSIMI, Summe & plurimum REVERENDI, DOCTISSIMI, REGIAE FRIDERICIANAE INSPECTOR, & EPHORI, FAUTORES, & PATRONI, genere, Sapientia, & virtutibus incluti, ERUDITI, liberalium artium CULTORES, Examen & Oratores nostros honorifica vestra praesentia dignaturi sitis, atque ornaturi. Dabam MAGDEBURGI, d. 16. Septembr. A. D. MDCC. XLI.*









J 741

C 3440





